Dissertatio inauguralis medica de haemorrhagia narium / [Gottfried Erdmann Kau].

Contributors

Kau, Gottfried Erdmann, 1683-
Wedel, Georg Wolffgang, 1645-1721.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Krebsianis, [1710]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/cc3uaye7

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

T. 874. 2

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

HÆMORRHAGIA NARIVM,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
GVILIELMO HENRICO,
DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, & reliqua,
SVB PRÆSIDIO
GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,
HEREDITARII in Schwartza/
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII
ET ARCHIATRI,
THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,
Patroni, Præceptoris ac Promotoris sui summo obseruantiæ cultu ætatem prosequendi,
PRO LICENTIA
Summos in Arte Medica Honores, Insignia ac PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAIORVM, rite capessendi,
publicæ disquisitioni submissa
A
GODOFREDO ERDMANNO KAU,
BREGA-SILESIO,
IN AVDITORIO MAIORI,
Horis ante- & pomeridianis consuetis,
A. D. Decembr. A. C. MDCCX.

IENÆ, Litteris KREBSIANIS.

INCLYTÆ REIPVBLICÆ BREGENSIS
PATRIBVS CONSCRIPTIS,
IMMORTALIBVS MERITIS VIRIS,
Magnifico,
Prænobilissimis, maxime Strenuis,
Amplissimis, Consultissimis ac Prudentissimis,

DN. CONSVLI,
DN. SENATORIBVS,

Cunctis

ORDINIS SENATORII

MEMBRIS GRAVISSIMIS atque SPECTATISSIMIS,
DOMINIS, PATRONIS AC MÆCENATIBVS SVIS
OMNI VENERATIONIS ET OBSEQVII CVLTV
VENDIS,

C INAVGVRALEM

feram, cum perpetui
ione

nisse consecrat

GODOFR. ERDM. KAU.

K. u. k. Militär-ärztliche Bibliothek

Standort			Katalog		
	Zimmer			Abth.	
	Kasten			Gruppe	
	L. Nr.			Nr.	

I. N. I.

PROOEMIVM.

PRetiosissimus corporis humani thesaurus est sanguis, a primo momento, velut elementum hominis futuri puncto saliente conspicuus, vt cum corde diuisas quasi operas habens & vitam signet, & mortem suo vtriusque motu.

In sanguine vita est, & ex sanguine, quia luculæ vitalis fons & propago est, per quatuor principalia fluenta, & ad pulmones, velut in subsidium propulsionis, & ad vniuersi corporis ambitum perpetuo fluens & circulatus.

Vndulat nimirum, durante vita & valetudine, perpetuo, & nectare viuifico suo vegetat omnes & singulas corporis partes, artificiosissima machina rotatus, neque, nisi vel robore naturæ, instar pretiosissimæ, sed pro seruanda vitæ incolumitate, mercis foras missus, vel inuita eadem, dimittitur.

Hoc vero si fiat, inuita & nolente, sed velut coacta, velut transfuga quidam, si deserat suos alueos &

vſum genuinum ſummum, quo mactat partes omnes, præſto eſt noxa, & damnum ſæpe irreparabile, morbi & mors ipſa.

Exemplo huius ſit e pluribus vel vna HÆMORRHAGIA NARIVM, leuis & ſimplex viſa, primo intuitu, ſed in receſſu fallax ſæpe & periculoſa quam maxime. De hac, iuſſu & autoritate Facultatis gratioſæ, dum tractare aggredimur, Deum O. M. rogamus, vt feliciter omnia cedant & eueniant!

CAPVT I.

De

Hæmorrhagiæ narium definitione Nominali & reali.

INter NOMINA illa ſunt præcipua & aptiora, quæ ſtatim velut ſua ſunt, & primo elogio, quid notent, præ ſe ferunt, ſine inuolucro quodam. Tale præ aliis eſt hæmorrhagiæ nomen, quæ Græca origine, vſu recepta Latina, notat appoſitiſſime eruptionem ſanguinis, dicta ἀπὸ τοῦ αἵματος, *a ſanguine*, & ῥήγνυμι, *erumpo*, a frangendo vel findendo, vt ſic egregia metaphora innuat, ſicut, aggere diruto, aqua contineri amplius neſcit, ita, in alio fluidorum genere, hoc loco ſanguinem erumpere, vnde & ῥάγα, *vis, impetus*, ὁρμὴ, dicta eſt.

Coincidit hac in parte & alia cum eadem vox αἱμορροῖς, *hæmorrhois, hæmorrhoides*, quæ & apud *Philoſophum* pro hæmor-

morrhagia ſumitur, & aliquando etiam apud medicos, imo ipſisſima in effectu eſt, niſi quod ἀπὸ τοῦ ῥέειν *a fluendo* potius dicta eſt; ſed vſu recepto ſpecialius de hæmorrhagia venarum ani accipi conſueuit.

Elegans obſeruatio eſt *Galeni* ipſius, hinc & *Dureti*, & aliorum, eſſe id nomen, apud *Hippocratem* inprimis, κατ' ἐξοχὴν accommodatum profluuio narium. Nam cetera ſanguinis profluuia, tum vnde manant, & qua feruntur, tum etiam definitorum temporum nominibus explicantur. Huiusmodi ſunt τὰ γυναικεῖα, τὰ καταμήνια, τὰ λόχια, δυσεντερίαι, αἱμοπτύσεις, ἐρήσεις αἱματώδεις, *muliebria*, *menſtrua*, *lochia*, *dyſenteria*, *ſputa cruenta*, *mictus cruentus*, & alia. Adeoque latius alias, & tanquam genus omnium aliarum, ſpecialius & indefinite poſita hæmorrhagia, narium cruentationem ſtrictius notat. Et quando de aliis prædicatur, id cum addito loco ſeu ſubiecto fit, vti *Dioſcorides l. 4. c. 43.* αἱμορραγίαν τῆς ὑστέρας, *hæmorrhagiam vteri* ſic exprimit.

Seorſim vero hoc nomen ſubit *ſtrictiſſime* hæmorrhagia narium, non minus ac aliæ, cum adiecto immodica, ſymptoma excretorum toto genere præter naturam, vt vocat *Galenus*, ſolo excepto ſanguine menſtruo, vel talis futura.

DEFINIRI poteſt excretio ſanguinis per nares præternaturalis, ab extrauaſatione eiusdem vndecunque inducta.

GENVS, ſeu ratio formalis, quæ vniuerſam notionem hæmorrhagiarum abſoluit, eſt excretio. Vtut enim aliis quoque nominibus ſatis exprimentibus affectum gaudeat, hoc tamen aliis omnibus contra videtur principale ac præcipuum, ἐμφατικώτατον, & vſu receptiſſimum.

Siue enim fluxum, ſeu effluxum ſanguinis dicamus, ſeu profluuium, profuſionem, effuſionem, ſeu ſanguinis ex naribus curſum, vt *Celſo*, ſeu, vt *Scribonio Largo* audit, eruptionem ſan-

guinis e naribus, quando ſanguis ſe erumpit ibidem, ſeu quocunque alio id efferamus Synonymo, neutrum tamen aſſequitur excretionis ἐξοχὴν ſeu denominationem.

Enimuero effuſiones, & fluenta reliqua liquidorum, ſi cum hac excretione comparentur, fere paſſiue ſe habent, & vt vnda vndam pellit, ita preſſione & ductu naturali in alueis, vel extra illos feruntur. In animalium vero genere, & maxime hominum, quibus fere vnice hæmorrhagia narium propria eſt, id nominis non ſolum motum, ſed cum motu ſenſum quempiam notat & importat.

Eſt hinc, ſub archei præſidio vitali, non tam motus pure naturalis eſt, ſed ſuo ſenſu & vitalis & animalis, ſingulis ſibi velificantibus in corpore viuo, ſiquidem nec ſanguis in cadaueribus fluore ſimili amplius gaudet, vnde in illis non æque excerni dicitur, ſi vel maxime fluere illum contingat.

DIFFERENTIAM SPECIFICAM largitur tum materiale fluidum, tum locus exeundi, ſeu ſcaturigo, tum modus exeundi ipſe.

Materiale, quod excernitur, eſt ſanguis, & quidem ſibi relictus, floridus, recens, purpureus, quamuis etiam in via concreſcere nonnunquam viſatur, fluidum illud mobile, quod in ſinu ſuo purpureo cuiusuis animantis animam fouet, referente Sacro Codice, *Leuit. 17. v. 11. 13. 14. Deuter. 12. v. 23.*

Locus ipſe idem determinat ſatis, ſeorſim conſiderandus. Sin modum excretionis ſpectemus, non tam exeundi abſolute hic conſiderationi ſubiicitur, quatenus ſucceſſiue ſtillat, guttatim, inſtar gutturnii non rite clauſi, nec integre aperti, ſed quoad medium terminum, cum omnibus aliis excretorum generibus communem, vltra ἀφορίαν. Hinc vno verbo id notauimus præter naturam.

Enim-

Enimuero, vt alias in quibusdam actibus seu actionibus, exemplo somni, seu qualitatibus, imo etiam in excretorum genere, distinctio percommoda & necessaria est in foro medico in *naturalem*, *nonnaturalem* & *praeternaturalem:* ita & hoc ipsum de hæmorrhagia valet, & ad illam applicari meretur.

Liceat hinc de illa quoque eadem argutari. Hæmorrhagia narium *naturalis* dici potest non quidem *absolute & pure* ac ordinarie talis, quale quid de mensibus in fœminis verum est, æque naturalibus suo loco ac tempore, ac aliæ excretiones quæuis: attamen analogice, secundum quid, vel quasi talis. Quæcunque nempe excretio vt alia, ita hæc quoque, fit natura aurigante, & bene agente, cum iuuamine, liberatura sese, & actu hoc ipso se liberante, illa merito naturalis, laudato modo, habenda est, nec curatione eget.

Perinde vero est, vtrum semel iterumque saltim hoc eueniat, an velut naturalem in modum, ad instar mensium etiam hoc tentet & exequatur archeus, certo & statuto tempore, generali, vel speciali magis. Exemplo sint hæmorrhoides, plane ad hanc regulam & normam iudicandæ.

Idem dicendum est de hæmorrhagia narium critica, eaque salutari, ita ab euentu dicta, cum febris cessatione omnimoda, eaque fida & constanti. Hæc ipsa, & aliæ huius commatis omnino pro naturalibus, saltim secundi generis, habendæ sunt. Et hæ ipsæ minus sunt huius loci, sed sui iuris & prærogatiuæ, vel exemptionis, non indicantes curam, præterquam extraordinarie, si quidem ab æquatore suo desciscant, vel declinent, adeoque alio statu aliam tractationem desiderent.

Sic & nonnaturales sunt & dici merentur, quæ non iuuant quidem, vt naturales illæ, neque lædunt tamen, vt præter-

ternaturales, ſed medio modo ſe habent, & prodeſſe, & nocere valentes. Adde quæ & a cauſa aliqua nonnaturali contingunt, communi illa, quo de in ſequentibus agemus.

Notabile tamen eſt, vtrasque haſce ad præternaturales deuiare poſſe, & medica ope hinc indigas reddi, ſeu quæ lædunt, & proprie hinc huius ſunt loci, easque illuſtrant & confirmant magis. Neque tamen prius in cenſum hunc veniunt, quam hoc charactere morboſo inſignitæ, a naturali, a nonnaturali ad præternaturalem gradum progreſſæ, & progredi aptæ. Id vero vel vno verbo definiendum eſt, laudato, immodicæ, ἀμέτρως tales, vel ſola quantitate.

Non abeunt ab his, ſed confirmant eadem potius, qui in anteceſſum quaſi hæmorrhagiam dirimunt in criticam, quæ iuuat, ſymptomaticam, quæ lædit, & mediam, quæ vtrumque præſtare poteſt, pro modulo circumſtantiarum, aliorumque concurrentium.

Tacemus, circa modum excernendi alia quoque concurrere attendenda, quæ ad ſequentia potius differimus. Ad analogiam vero hanc naturalem plura alia exempla referri queunt, non ſolum in ſequiori ſexu, vbi menſes diuerſa excernicula ſortita leguntur, & inter hæc per narium quoque hæmorrhagiam; ſed & in aliis.

Confirmant dicta, tum rationes, tum experientia, duo fulcra omnis aſſerti medici, tum ipſa autoritas, ſi illam velimus attendere. Vnus ſufficiat *Felix Platerus T. 3. prax. l. 2. c. 5. p. 610.* vbi, hæmorrhagia narium, *inquit*, cum conſueta quibusdam & *naturalis* ſit, tunc primum *præternaturalis* fit, ſi immoderate tantaque copia ſanguis profundatur, vt *vires* labaſcant, vel etiam penitus cum *vita* extinguantur.

CAPVT

CAPVT II.

De Subiecto.

VEl ex ipsa nominis notione, intimius perpensa, SVBIECTI, ad quod iam progredimur ordine, clarere & peti potest ratio. Si vllibi locum habent recepti & vsitati termini circa subiectum occurrentes, liceat & hic iisdem exprimere partem affectam curatius.

Subiectum inprimis gemino intuitu lustrandum. VT QVOD, seu denominationis, est sanguis, in latitudine sua generali acceptus: de hoc enim prædicatur, quod fluat, primum fluidum vitale, præcipuum morbi, seu affectus huius.

Subiectum vero VT QVO liceat vocare hoc loco inhæsionis, seu vbi & vnde fluat, idque tum PRINCIPALE, tum ADÆQVATVM. Illud, quod primario sustinet hæmorrhagiam, & respectiue patitur, cum vulgo quidem recte assignari videtur esse nares; sed medicus & hic vltra illud sapere debet. Illud ipsum ergo fuerit, vbi inhærere debebat sanguis, & coerceri potius, non exundare, vel exire, seu, verbo delecto, extrauasari.

Cum enim, more omnium & proprio fluidorum, sanguis quoque in corpore humano alienis saltim gaudeat terminis, iisque contineatur in statu naturali, hi aluei, tubuli, canales, cauitates, circumscripti, seu parietes, aggeres & remoræ naturales, sine dubio constituunt subiectum, VT QVO.

Hoc vt rectius nouerimus, integrum & consultum fuerit, lustrare paulo nasi, seu partis affectæ confinia, & mechanicam. Quemadmodum ex promontoriis scaturiunt fluen-

ta: ita nasus quoque velut promontorium tale supremi apicis constituit.

Nec absonum erit addere, nasum esse duplicem, idque genuino sensu (1.) *externum*, obuium & complexum tum aditum, tum exitum, ingressum & egressum. Et illum enim adæquatum esse subiectum hæmorrhagiæ vel exinde efficitur, quod iniuriis aeris, iniuriis externis aliis obnoxius est, vnde inferri potest facile, & toto die solet. (2) *internum*, cauitatibus vacuis & patulis perpetuo conspicuum, septo intermedio cartilagineo in duas partes diuisum.

Neque de nihilo est hæc attingere, siquidem & ipse nasus extimus cartilaginem habet diuisam, & diuisione hac sepimenti habita addendum consequitur, modo dextram narem hæmorrhagia laborare, modo sinistram, idque sæpe constanter, alterutram, modo vtramque simul, sine hoc discrimine. Internus exitum sanguini fluenti ministrat & viam.

Adde, quod & sursum exporrigatur ad os cribrosum, quod & lympham & sanguinem dimittere posse vel sua mechanica foraminulenta, vnde nomen indeptum est, satis euincit; & ad latus septentrionale quasi, ad palati fornicem. Et hinc patet, quare non raro simul hæmorrhagia præsente, & ad os ipsum sanguis deuiet, & præsertim obturatione interius facta, non centrali vel radicali.

Cum ergo sinus hi ipsi, narium puta, ceteroqui nil conferant quam egressum, dispiciendum venit, de scaturigine principali, hoc enim est κεφάλαιον, vel ζητέμενον, res quæstionis principalis. Optimum, mechanicæ seu naturæ rei vnice ac causis dicendis conueniens, est, si dixerimus, fieri id quoad oscula, quoad poros, quoad membranam. Per oscula intelligimus vasorum capillamenta, per membranas parietem defensorem integrum, per poros minutissima interstitia, singula dilatabilia.

Vasa

Vasa vero cum sint duplicia sanguifera, venosa & arteriosa, lymphatica enim minus in censum hoc casu veniunt, disquiri solet, quænam sint subiectum principale, si inuicem comparentur, an venæ, an arteriæ. Plerique arteriis primatum deferunt, quod hæ, vi circulationis, seu motus, etiam *Coo* dudum κυκλωμῶν, *circularis*, vocati, sanguinem ex corde, virtute antliæ pressoriæ vitalis, afferant.

Accedit, quod stillicidium fluentis sanguinis e naribus videatur æmulari quasi pulsantis arteriæ micationem: vt alia, quæ pro hac sententia afferri possunt, non laudemus. Ast præstat non vni huic soli vasorum generi hanc demandare vel assignare prouinciam.

Reuera enim ἀνασόμωσις, seu osculorum illa apertio, communis est, non singularis seu propria vnis solis arteriis. Idem dictum esto consequenter de extrauasatione, generali non minus nomine ac communi vtrisque, arteriis & venis.

Adde ἀνάῤῥοπον ad superius clima, seu capitis sphæram, vel ῥευματισμῷ solo concepto, vt in doloribus, hemicrania, seorsim in inflammationibus, vt phrenitide, per arterias sanguinem, vel συναθροισμῷ quoque, paulatina collectione & stagnatione eiusdem, non posse per arterias κατάῤῥοπον fieri, sed æque per venas eandem ludi oportere fabulam; verbo, diuisum esse imperium distribuentium sanguinem vasorum.

Vti ergo per arteriæ carotidis internæ propagines, quando plus affluit, quam per venas refluere potest, sanguis in nares deponitur, & exitum inuenit, non vno modo; ita hæmorrhagiæ etiam contumaces, hoc loco per nares, vt alibi per pulmones, anum, vterum, non solum fiunt per arterias, sed & vicinos venarum apices. Vid. *Rolfincius Dissertat. anat. l. 6. c. 58. & 56.* Extraordinarie etiam a *Platero in Pr. med. l.*

c. p. 610. ſpontanea exilis venulæ in apice naſi apertura obſeruata eſt in commilitone ſuo, per quam copioſiſſime ſanguis effluxit.

SVBIECTVM ADÆQVATVM PROXIMIVS conſtituit cerebrum, ſiquidem eius miniſterio velificatur præ aliis totum hoc promontorium naſi, cuius velut ſpiraculum ſpeciale eſt, vt pulmo cordis.

Hic vero illud potiſſimum delibandum venit, vtrum ex ſinu aliis hodie primo dicto, aliis tertio, mediaſtino, cerebri, per longitudinem decurrente, eiusque velut æquatore hæmorrhagia narium fieri poſſit.

In genere enim cerebrum ſæpenumero depleri, & critice quoque leuari per hance ἔκκρισιν, in læſionibus ac contuſionibus quoque ipſis ex naribus non modo, ſed & ex auribus aliquando ſanguinem profundi, certum eſt; ſed ſpeciatim per hunc ductum fundi ſanguinem, ſunt qui negant, ſunt qui affirmant.

Ex prioris generis numero cumprimis eſt *Schneiderus*, qui *Tr. de oſſe cribriformi, p. 411. & ſeq.* plures quidem autores idem affirmantes allegat, aſt negatiuam ſtrenue tuetur, illo potiſſimum argumento, quod proceſſus ille falcatus circa criſtam galli ſaltim ligamenti vicem obeat. Neque alii abludunt, quod eodem argumento calloſa ſinus huius falciformis ſuper os cribroſum ſit inſertio, adeoque minus videatur effuſio hinc ſanguinis poſſibilis.

Sin eiusdem laterales ductus vrgeas, per quos facilius tranare poſſit ſanguis, obſtare obſeruantur ſepimenta, a craſſa meninge oriunda, ipſaque proceſſuum papillarium ſubſtantia; quo de vid. *Rolfincius l. c.*

Sed laudata oſculorum, pororum, membranarum fundamenta inconcuſſa videntur & ad hanc adapertionem

&

& reſerationem, ſaltim præternaturaliter, & extraordinarie, maxime, cum ſinuum illorum ſubſtantia, vſus, commercium cum vaſis circulantibus, minus videantur, citra omne dubium, explorata.

Hinc ſi autoritatem in contrarium repetamus, concedit, præter laudatos illos, id *Th. Bartholinus l. 3. Anat. c. 2.* Tertius, *ſcribit*, longiſſimus ſinus, per capitis longitudinem pergit ad ſummas nares. Atque his ſinubus, (cauitatibus, ſanguiductibus) dehiſcentibus aliquando immenſa copia ſanguinis per nares fluit, quæ per arterias ſuppeditatur. Confirmat idem *Simon Pauli* experimento inferius laudando, ne alios in vtramque partem citemus.

Nobis itaque ſuffecerit, non ſolùm membranam narium laudatam quam plurimis arteriarum & venarum ſubtiliſſimis circinationibus pollere, ſed etiam idem valere de ſuperiori contignatione, ſymbolica vtriusque vaſorum generis harmonia in extrauaſationibus etiam hiſce. Viſitur id alias elegantiſſime & ad oculum in craniis ſuſpenſorum in meningibus; idemque valet in lateralibus ſinuum, nondum ſufficienter, vt diximus, exploratorum ramificationibus, etiam verſus anticas has partes, & ſinus narium dimittendo, ſaltim præternaturaliter, ſanguine.

SVBIECTVM ADÆQVATVM REMOTIVS ſtatui poteſt totum corpus, ſeu maſſa ſanguinea, eiusque circulus, partim indefinitus, vniuerſalis ille, partim definitus modificatus, directus & lateralis. Dextra enim dextris etiam hic conſentire videmus, vti notatum fuit v. g hepate affecto magis e dextra nare, liene, magis e ſiniſtra effluere & ſtillare ſanguinem.

Atque ex his efficitur, etiam nares, tanquam partem affectam præcipuam, in hæmorrhagia laborare modo *per eſſentiam*, propria & domeſtica labe, citra fouentes partes alias, cerebrum, hepar, vterum, & reliquas; modo *per*

consensum harummet, focum commodantium loco affecto huic, pro singularum modulo non vno, seu hepate, seu liene, seu vtero, mesenterio & hæmorrhoidibus ipsis velificantibus, & huc amandantibus ἀναῤῥοπίαν.

CAPVT III.

De

Causis.

VT plura hæmorrhagia narium cum aliis sanguinis excretionibus habet communia; ita & præcipue CAVSAM. PROXIMA & IMMEDIATA hæc est extrauasatio sanguinis, siue illa culpa fluidi, suis carceribus vndulantis & circulati, siue solidi, murum, parietem & sepimentum largientis, contingat.

Cumque hæc non nisi vna sit in radice, modi quidem diuersi assignantur a medicis, in effectu tamen non nisi vna hæc est inde resultans, extrauasatio scilicet. Rectius vero & clarius, imo & distinctius concipere illam possumus, si expressiones ordinarias, quibus hæc illustrantur & explicantur, laudemus.

Assignauit hasce passim *Galenus*, inprimis autem velut in sede *l. 5. M. M. c. 2. l. de differ. Sympt. c. vlt. l. 4. de loc. aff. c. 5.* & alibi, quæ commodius ita ordine concipi & locari queunt: Διαπίδησις, ἀνασόμωσις, & Διαίρεσις, quæque separatim expendi merentur, vt coniunctim intimius noscantur in vna extrauasatione.

Addi potest & hoc, ἀνασόμωσιν non raro accipi latius pro omni extrauasatione, etiam reliquis nominibus expressa; strictius vero pro distincta a ceteris duobus modis. Quin

&

& prædicari magis fere de interna extrauasatione, vt διαίρεσις de externa, & violenta magis. Tacemus, dari etiam ἀναστόμωσιν aliam naturalem, qualis est in mensibus ac hæmorrhoidibus; aliam præternaturalem, quæ huius est loci. Nec illud omittendum, esse sibi singulas affines, & vnam in aliam transire posse.

Hinc, non obstante, quod quidam negare sustinuerunt & ἀναστόμωσιν, & διαπήδησιν, præeunte *Asclepiade*, sola διαιρέσει contenti, ordine procedendo illas videbimus. Sane διαπηδήσεως nomen antiquissimum est, siue *persultationem*, seu potius *transcolationem*, vel *transsudationem*, quæ receptior magis est interpretatio, vertamus.

Meminit huius *Hippocrates*, & explicat eleganti mechanica, corii oleo imbibiti, eiusque hinc pressione; quæ vox & alteri applicari potest, quando liquores congeneres per filtrum chartaceum sensim sensimque tranant, & guttatim hinc stillant, quæ mechanica accommodatissima est hæmorrhagiæ narium.

Non minus elegans alia est mechanica *Philosophi*, qui alio symbolico vtitur vocabulo διαπηδύειν, scaturitionis & transsudationis, (quamvis alia occasione, & materia, quam hæmorrhagiæ,) transsudare innuens non aliter, quam aqua per fictiles ollas, crudas adhuc & nondum incrustatas. Idem valet & de salibus solutis in aqua, vti flores nitri hoc pacto parat *Mynsichtus*.

Hæc ipsa itaque mechanica fit in naribus, vt alias ordinarie, quoad secretionem lymphæ, sensim atque sensim per membranam delicatam, cedentis in mucum, appulsu aeris; ita hic per eundem vasorum rariorem textum, stillicidium sanguinis; vno verbo per poros.

Sed optime euidens superest alia quoque mechanica.

Quis

Quis nescit, mercurium viuum, mobile sed graue & fluidum corpus, itidem per corium exprimi, nulla facta διαιρέσει; Cur non idem fieri queat in floridiori sanguine, accedente calore, & ὤσει, seu pulsione, quæ eadem est cum pressione.

Non opus est, vt hæc exemplis pluribus, & vel ipsius sudoris cruenti explicemus vlterius. Satis sit, διαπήδησιν hanc veterum fundatam esse in re, quicquid in contrarium afferant alii: fundatam in gradu, qui primus quasi est, vt ἀναστόμωσις secundus, ἀφαίρεσις tertius, ne fluxus hepatici, & aliorum meminerimus.

Ἀναστόμωσις vero specialis velut secundum gradum constituit, reclusis extremitatibus vasorum, seu extimis filamentis & capillamentis, tubulorum osculorumque: quando velut cuniculos agit sanguis, & per eadem dilatata exitum affectat, capessitque, ita vt non tam regrediatur per arterias adductus in capillamenta exinanita venularum, sed ibidem apertione facta, diductione & dilatatione data excernatur.

Habeant & hic sibi suas opiniones, qui compactam & densam vasculorum seu parietum substantiam obstare scribunt, poris magis patulis, facile concipiendis: vt in mensium fluxu naturali ordinarie in vterinis vasis, ita hoc loco in membrana ἀραχνώδει narium; vt in varicibus diducta membrana cutis, longe densioris, in pedibus vel manibus grauidarum, & aliorum subiectorum scorbuticorum, ita longe magis in partibus vndecunque debilioribus.

Sed διαίρεσις, *diuisio*, dirutis parietibus & membranis, seu contusione, violento casu & læsione quacunque, seu rasione, quam διάβρωσιν nominant, ne reliquas solutæ vnitatis species adducamus, quæ omnes & singulæ ad διαίρεσιν referri possunt, vt non opus sit, entia multiplicare, & plura assignare vel referre. Hinc quæ apud *Celsum*, aliosue nomina alia occurrunt, his cum componi & conciliari facile queunt.

His

His ita ſic ſatis clare habentibus, & mechanicæ maxime conformibus, viſenda eſt CAVSA MEDIATA PROXIMIOR. Inſtar omnium & principaliter illam exhibet & præſtat *Sanguis* ipſe, tanquam humor vitalis contentus: adæquate & ſecundario *continentium partium concurſus*. Per mechanicam enim tum ipſa fluenta modo aggeres diruunt, & ſic murum ſuperant; modo his non ſatis firmis exitus acceleratur, vt remorari & continere eadem amplius non ſuſtineant.

Subeunt culpam hanc humores, ſeu ſanguis, peccans *quantitate*, *qualitate* & *motu*, quæ ſingula extrauaſationem cauſare apta nata ſunt, vt omnem aliam, ita quoque hæmorrrhagiam huius. In *quantitate* ſi excedat ſanguis, & oneroſus redditur archeo, ſeu plethora inuitat ad depletionem, vt mirandum ſit, negatam fuiſſe illam ab *Helmontio*. Hinc toto die leuamen inde ſentiunt, non minus ac ab hæmorrhagiæ ſpeciebus aliis, plethorici.

Facit huc plethora, vt ita loquamur, vniuerſalis, in ſanguineis, & particularis, vt alias per vterum, per hæmorrhoides excretione facta, ſanguine congeſto alicubi largius. Idem dictum eſto, (quod applicari commode huc poteſt,) de plethora quoad *vaſa*, quæ prioris reſpectiue eſt generis, & quoad *poros*, quæ poſterioris. Turgidiora vaſa ad profluuium magis prona, vt aluei turgidi aggeres & littus ſupergrediuntur facile. Idem dictum eſto de poris, poſita enim & ibi oneroſitate, premuntur facile, & preſſi dilatantur, dilatati dimittunt contentum & hoc loco ſanguinem.

Confert vero non minus ſanguinis *qualitas*, in qualitatibus puta primis, ſecundis & tertiis. Quo ſanguis eſt calidior, eo magis ad rarefactionem procliuis, quo magis rarefit, eo maius occupat & affectat ſpatium, & ſic fit facilis

ἀναςόμωσις, ampliantur tubuli & capillamenta, vt & pulsatio inde maior & pressio fiat

Ita sanguis biliosus huius est commatis in genere, præ pituitoso. In secundis, quo rarior, tenuior, fluxilior est sanguis, eo facilius distendit vasa & parietes, ac exitum affectat. Idem valet & de tertiis, quo acrior, salsior, eo magis findit tunicas, poros, parietes, accedentibus inprimis cum alcalicis volatilibus & sulphureis particulis; quæ omnia ad reliqua quoque causarum genera paratissimam sternunt viam.

Atque sic ex quantitatis & qualitatum posita indispositione, consequitur & *motus*, isque geminus, sanguinis ad hæmorrhagiam disponentis, intestinus & localis. Enimuero fermentificus *intestinus* salium alcalicorum & acidorum biliosorum, adeoque sulphuris sanguinis rarefactionem causans, aptissimus est ad diruenda hæc claustra etiam in naribus. Vno verbo ὀργασμὸς inductus, coerceri nescius, vnde non raro ἀθρόως καὶ βιαίως, *confertim & cum impetu* id peragitur, quantitate modo discreta, modo continua conspicuo profluuio.

Localis & definitus redditur per ῥευματισμὸν, affluxu ad effluxum vrgente, plus affluente e circulo arterioso sanguine, quam per venas reuehi proportionate queat. Aliquando & successiue facta congestione per συναθροισμὸν, poris magis dilatatis idem fit, vndecunque promotis vtrisque, calore, dolore, aliisque.

Pondus addit alterius subiecti consideratio, quod causæ etiam locum subit suo sensu, quatenus debilitas suscipientium & continentium narium, membranæ obtensæ, parietum, vasculorum dimittentium, & per se sanguinem ceteroqui minus exitum affectantem, ad illum inuitat tamen. Mechanicam huius rei subministrat non tantum carduus

sphæ-

ſphærocephalus, *Dauidi Lipſio* eo nomine laudatus, ſed & millefolii haſtulata foliola, affrictu ſuo ſanguinem ad hæmorrhagiam titillantia, cum fibrillarum membranearum reſeratione.

Duplex hæc eſt diſpoſitio receptiuitatis, ſeu hoſpitii ſanguinarii, *natiua*, & vndecunque *acquiſita*. Vtrobique elateris nomen ſatisfacit, &, vt antiquos terminos, non ineptos illos applicemus, priori caſu expultricis facultatis, poſteriori retentricis reatus magis locum obtinet, vtriusque ſano ſenſu ad mechanicam applicabilis. Facit huc ipſa conſuetudo: poſt enim, quam ſemel iterumque huc exitum ſortitus eſt ſanguis, facile eandem viam repetit, etiam leui occaſione ſuppeditata.

Quod ſi enim hinc ad CAVSAS MEDIATAS REMOTIORES progrediamur, omnia huc ſpectant, quæ alterutro modo vel ſanguini ſtimulum & pondus preſſionis oneroſæ addunt, vel vaſcula & parietes laxare, findere, aperire, erodere per ſe, vel per accidens, directe, indirecte, etiam diſpoſitiue ſaltim, queunt.

Sic ex NATVRALIBVS huc facit ÆTAS. Rarius quidem infantilis hæmorrhagiam narium patitur, neque tamen exempta eſt, ſed viſi etiam quinque, ſex annorum idem aliquando paſſi; magis vero pueris & adoleſcentibus, elogio *3. aphor. 27.* ἐκ ῥινῶν αἵματος ῥύσεις, *ex naribus ſanguinis fluxiones* fiunt, circa annos pubertatis & vltra, quando in venerem prurire aut hircire occipiunt, iuxta *Coum l. 6. epid. ſ. 3. t. 42.* inprimis, qui ad gibboſitatem ſunt diſpoſiti, ob anguſtiam viarum minori conceſſo ad circulandum ſanguinem ſpatio.

Ex TEMPERAMENTIS diſpoſitio non minor oritur, cuius intuitu occurrit locus egregius *Hippocratis l. c. l. 6. epid. ſ. 3. t. 38.* αἱμόῤῥαγίαι, *inquit*, ἐκ ῥινῶν, *ſanguinis e naribus eruptio aut ſuppallide nigricantibus, aut rubicunde pallentibus, aut ſub-*

pallidis. In quem locum doctissime *Martianus p. m.* 277. notat eorum, qui sanguinis fluxioni e naribus subiecti sunt, triplicem h. l. fieri differentiam: (1) ὑποχλωρομέλαινα, colore nigro, cum quodam leui pallore suffusis, lienosis, etiam sua experientia, ob sanguinem melancholicum, ob serositatem & tenuitatem ipsi immixtam; (2) ἐρυθροχλώρισιν, qui sanguine bilioso abundant, tenui & leui, vnde narium venas aperiendo fluxum sanguinis ex quacunque occasione, vel sponte quoque, incidunt; (3) ὑποχλώρισιν, amara bile abundantibus, quæ sicut cum sanguinis penuria χλωρὸς facit, ita cum sanguinis abundantia subpallidos: vbi etiam, cur rubicundos non addiderit *Cous*, rationem addit.

Quoad SEXVM, fœminis rariores longe sunt hæmorrhagiæ, quam viris, tum ob temperiem remissiorem, tum quia alia via commodiori, & per naturam quidem, consimilis fiat euacuatio, si quidem salua hæc sit & integra. Tacemus DISPOSITIONEM HEREDITARIAM, & ἰδιοσυγκρασίαν quorundam, partim in genere, partim ad certi obiecti occursum illam sentientium, quo de passim exempla leguntur.

EX CAVSIS NONNATVRALIBVS multum confert AER, perpetuo naribus occursans, adeoque iis alterandis maxime pollens. Præstat hoc diuerso respectu & calidus, *5. aph. 16.* rarefaciens sanguinem, eiusque globulos dilatans, & ad motum citans magis; & frigidus tum aer, tum alia, *5. aph. 24.* concentrando, findendoque. Visuntur hinc dispositi ad hæmorrhagias narium & hyemali tempore, & verno, quo, noua quasi fermentatione sanguini inducta, humoris motus nouatur, ac æstiuo fluxiones hasce etiam ex naribus pati, *3. aph. 20.* concurrente inprimis humida australi tempestate.

Idem valet de CIBO & POTV, aliisque assumptis, quæ causis laudatis velificantur, vt salsa, acria, aromatica, piperata

rata largius assumpta. Hinc hæmorrhagias tales experiuntur, qui generosis vinis eiusque spiritu, ac potulentis aromatisatis, dulcibus, facile fermentescibilibus, v. g. musto, mulsa & aliis plus iusto delectantur; quale exemplum, a musti & vini Hispanici ingurgitatione, *Forestus lib. 13. obs. 12.* annotauit. Inde & a nimio sanguinis impetu orto ex diutino potus spirituosi (spiritus vini) vsu sæpe exoriri hæmorrhagiam frequentem, dum vasa nimis vrgentur, vt aut rumpantur, aut pori eorum nimis sint aperti, vt sanguis eat extra vasa, notauit *Craanen Tr. de hom. c. 72. p. 474.*

Idem & de medicamentis valet spirituosis, sulphure ac sale volatili oleoso fœtis, crebro ac in nimia dosi assumptis; quale quid de sale volatili oleoso Syluii, intemperatius a quodam assumpto, in *Actis Haffnienf. D. Iacobæus Parte I. obs. 113. p. 208. 209.* recenset.

Tacemus ab antiquis quibusdam memoratum, dari & plantas hæmogogas, quæ sanguinem vndique ex corpore diffundant, vt foras profugus abeat in exilium, cum internecione. Autorem laudamus geminum, *Theophrastum Eresium*, qui breuius, & *Pergamenum*, qui fusius paulo id refert.

Multum etiam huc confert MOTVS CORPORIS nimius, præsertim in constitutionibus sanguineo-cholericis: dum nempe sanguini concitatiorem motum conciliat, sicque ad violentam e suis claustris eruptionem disponit. Huc ergo spectant vociferatio, tussis, lapsus, cursus, equitatio succussatoria, & reliqua.

Symbolum etiam suum addunt ANIMI PATHEMATA, vt ira, gaudium excedens, Venus immodica. Ab his enim spiritus & sanguis consequenter in motum concitantur rapidissimum, non solum in vasis sanguiferis, sed in omnibus fere corporis partibus, quas sanguis alluit, æstus & turgescentia insignis obseruatur. Adeoque sanguis ferociens, liberius spa-

tium pro motu requirens, aſt non inuenſens, alueolos ſuos vi perumpit, vt non ſine impetu interdum proſiliat. Exemplum tale hæmorrhagiæ narium a venere immodica, de ruricula quodam bene poto, recenſet *Hagendornius in Tr. phyſ. med. de catechu p. 69.*

CAVSÆ etiam PRÆTERNATVRALES omnis generis fœcundo prouentu producunt hæmorrhagiam narium. Sic *morbi intemperiei* calidæ toto die eam inuitant, cumprimis febres, non ſolum criticam, ſed & ſymptomaticam, intermittentes, ardentes continuæ, comitatæ, inflammatoriæ, variolæ, morbilli, phrenitides, & reliquæ, ob rarefactionem ſanguinis, & ad has partes rariores exundantem.

Idem de *morbis conformationis* dictum eſto, in quorum cenſu præcipuæ ſunt obſtructiones viſcerum, hepatis, lienis, meſenterii, vteri ipſius; ibi enim circulatione ſanguinis debita impedita & moram nacta, aliorſum, & ſic ad nares quoque exprompte redundat idem, & exitum affectat. Teſtantur id hydropici ipſi non raro, & rectisſime ſcribit *Fernelius*, eos e naribus ſanguinis fluxum pati, quibus viſcera ſunt imbecillia, & iecur maxime, id quod hydropicis accidit. Affirmat hoc & *Heurnius l. 3. aphor. Comment. 20.* dum inquit: Quibus facies colore viridi ſuffuſa eſt, hepate laborant, & ſignum eſt, iam iam adfuturi hydropis, frequens eſt in his cruoris per nares effuſio, vbi & plura habet.

Tacemus, menſium obſtructiones & per hanc viam expediri non raro. Quod & de hæmorrhoidibus ipſis valet, ne de venæſectione vel ſcarificatione intermiſſa dicamus; nec, gibboſis familiarem eſſe in annis incrementi hæmorrhagiam, repetamus.

Sed quis neſcit, frequentiſſime omnium hæmorrhagiam narium prouocare contuſiones, capitis & faciei, caſus, lapſus, & læſiones alias omnis generis, vaſis ſic diſruptis, fiſ-

ſis,

ſis, conquaſſatis? Idque non ſolum in præſens, ſed & aliquando in futurum, laxatis plus iuſto fibris, facile iterum ad fluorem vocatis nouum.

Nec minus de ſymptomatibus variis idem verum eſt. Ita dolores capitis, quandoque & alii, exoluuntur in hæmorrhagiam narium. Ita tuſſis ſolenniter etiam ob concuſſionem maiorem pectoris, & inflationem faciei, hæmorrhagiæ autor eſt. Quin & ſternutatio ipſa ſanguini exitum hunc apparat & prouocat.

CAPVT IV.

De

Differentiis & Signis.

SEorſim & DIFFERENTIÆ luſtrandæ hæmorrhagiæ huius. Vti vero loco generis conſiderata latiſſime patet, ita & ſpecialis hæc narium non caret diſcrimine communi & ſpeciali.

Ratione GENERIS, alia eſt recens, alia antiqua; alia parca, alia media, alia copioſa & larga; alia producta, alia periodica. Ratione SVBIECTI, alia eſt eſſentialis, & primaria, alia per conſenſum, & ſympathica.

Ratione CAVSARVM, alia fit a cauſa externa, alia ab interna: alia fit ab oppreſſione coactiua, alia a reſolutione, velut ναυσιώδη profugo ſanguine, alia ab excretione.

Signis in GENERE vix eget hæmorrhagia narium, ſiue ſymptoma ſpectes, ſeu locum affectum; ſiquidem vt ſponte profluit ſanguis, ita & in ſenſus incurrit, profluens ad extra ordinarie, aliquando etiam, facta cumprimis obturatione narium, ad os & fauces regurgitans.

Stillat modo paulatim, & pedetentim, modo maiori

cum

cum impetu, quandoque & grumosus fit, in via coiens, si longius duret, & sic quoque exitum sibi aliquando præpediens, facto sic obice.

Signa CAVSARVM desumuntur ex temperamento, habitu corporis, excretis, aeris constitutione, tempore anni, præcedente victu, assumptis, motu, euacuationibus solennibus suppressis, animi pathematibus.

Signa plethoræ, vel cacochymiæ, e suis fontibus etiam huc referenda, vt & febrium, aliorumque morborum prægressorum, vel comitantium. Critica ex εὐφορία, leuamine, & morbi cessatione, & larga seu sufficienti saltim effusione, symptomatica e statu contrario patefit.

Instantem & futuram hæmorrhagiam præsagiunt: facies subtumida, rubida, capitis dolor grauatiuus, pulsatio vehemens arteriarum circa collum & tempora, faciei & oculorum rubor, narium siccitas & pruritus, seu titillatio, nonnunquam & lachrymarum inuoluntaria effusio.

Inter signa PROGNOSTICA ratione EVENTVS, terminatur modo ad salutem, modo certis casibus ad mortem. Bona est critica, laudata, & ad salutem fit, a posteriori tamen magis æstimanda, in febribus continuis, per ἔκκρισιν fiens, robore naturæ. Mala symptomatica, inprimis per resolutionem, prostratis viribus, profugo omni sanguine, nisi possit ad frugem redigi; quod in febribus malignis factum est visum. Media est per oppressionem.

Sic & periculosiores vtplurimum sunt narium hæmorrhagiæ, quæ cum impetu, & sine vllo intermissionis termino, quam quæ leni effluxu & per vices contingunt. Periculosissimum quoque est malum, si profluuium narium cum aliis hæmorrhagiis coniungatur, notans naturæ coactum statum, & resolutionem quasi totalem, lethiferam facile futuram. Talis vniuersalis hæmorrhagia obseruata legi potest

Ephe-

Ephemer. German. Dec. 2. Ann. 2. obſ. 140. in viro quodam primario nouem & ſexaginta annos nato, ictero diuturno & nigro tandem laborante, qui per os, per nares, per vrinam, per aluum, nil niſi ſanguinem excreuit, funeſto euentu.

Ratione *cauſarum*, ceteris paribus, quæ per Διαπίδησιν fit, magis curabilis & minus eſt periculoſa, medio modo quaſi ſe habet, quæ per ἀναστόμωσιν contingit; magis interdum periculoſa, quæ per Διαίρεσιν fit, & difficilius curationem ſuſcipit, ſi fiat ex ſanguinis acrimonia, & eroſione vaſorum inacceſſa, qualem & in ſinu cerebri quidam concedunt.

Ratione cauſarum remotiorum, variat prædictio. Ita bona eſt, elogio *5. aphor. 33.* vicaria in ſuppreſſione menſium, modo non excedat, adeoque ſaltim reſpectiue. Soluit eadem dolorem capitis, ablata cauſa continente, *6. aph. 10.* non minus ac ſurditatem, *4. aph. 60.* ipſosque abſceſſus, vel decubitum ſaltim in articulis imminentem, *4. aph. 74.* vt loca plura ex *diuino ſene* in hunc finem non addamus.

Symptomata item ſuperuenientia de affectus exitu teſtantur. Sic in genere malum periculoſius eſt, quo vires magis labaſcunt. Hinc & lipothymiæ, ceſſatio pulſus arteriarum, facies Hippocratica, ſeu faciei antea viuidæ in pallidum, plumbeum, luridum, cadauerosum colorem, mutatio, frigiditas extremorum, ſenſuum hebetudo, maxime periculoſum denunciant euentum.

Ratione *ſubiectorum*, magis lædere poteſt pueros & ſenes, quam iuuenes, quibus magis hic affectus quaſi proprius exiſtit. Non tam aduerſa etiam eſt bilioſis ſeu ſanguineo-cholericis, quam phlegmaticis & melancholicis. Hi enim magis profuſione ſanguinis refrigerantur & debilitantur, vnde *8. aph. 3.* in quartana mala pronuntiatur. Minus ter

reri conuenit etiam effato *Celsi*, si plus ex muliebri corpore sanguinis profluit.

TEMPVS EVENTVS etiam ab iisdem fundamentis fere fouetur & modificatur. Sane apud autores hinc inde miræ hæmorrhagiæ exempla recensentur varia, seu quantitatem continuam spectes, seu discretam, vt per dies & noctes durauerit, imo longius, vt ad plures libras X. XX. & vltra effluxerit sanguis, de quibus *Schenckius in obseru.* & *Moronus in Directorio* plures notarunt obseruationes, aliique. Variant enim hæc pro causarum fouentium & subiectorum modulo.

MODVS EVENTVS ad *salutem* fit robore firmato parietum, & in viam regiam reducto sanguine, sublatis causis & remoris; ad *mortem* vel in præsens, vel in futurum. Illud fit, resolutione virium, depauperato vitali nectare, spiritibus exhaustis, frigore extremorum continuante, ἐφιδρώσει, lipothymia, syncope. Visæ sunt etiam post mortem stillasse nares sanguinem. Hoc oriunda inde cachexia, vel hydrope ipso, a producta scilicet longius. Quibusdam etiam conuulsio successit, quod elogio *7. aph. 9.* malum est, non minus ac desipientia. Notabilis est obseruatio *Brassauoli*, *comment. in h. l.* Quendam vidimus, *ait*, qui ob defluxum sanguinis narium obiit; hic antequam obierit, ad insensibilitatem quandam fere & corporis stuporem deuenerat, nullaque medicamentorum ope iuuari potuit; vbi & plura habet.

CAPVT V.

De Curatione.

CVRATIO, ex legibus METHODI MEDENDI, cordi habenda, &, pro re nata, vel suspendenda, vel maturanda,

da, prout ex prænotionibus & præcognitis vtramque variant indicationes.

Enimuero vas apertum proportionatim obturandum, ad modulum mechanicæ extrauasationis aliorum fluidorum, quocunque modo id patientium. Vna quoque sanguis ipse deplendus, alterandus, refrenandus, coagulandus, figendus, diuerso respectu, prout directe vel indirecte concurrit, agitue & patitur, in circulum suum asserendus. Vrgens denique excursio sistenda omni modo possibili & licito, vt thesaurus vitæ conseruetur, nec temere profundatur, cum ipsa purpura vitalis robur omne largiatur, spiritibus impetu dempto ligatis & placatis. His, tanquam canon & cynosura agendorum, præmissis, visenda sunt præsidia medica, secundum suos ordines& loculos consuetos, ab artifice depromenta cum selectu.

Sic optimum & necessarium sæpe est heroicum illud remedium VENÆSECTIO, non vnis casibus, seu deplendi, seu reuellendi, seu deriuandi, & vna alterandi scopo. Supposito enim, non tam criticam esse euacuationem, quæ omnino etiam sufficiens esse debet, nullum enim paucum criticum; vel minoris momenti, quo vtroque casu non temere vnquam vena tundenda est; quam vel hypercriticam & excessiuam, saltim a posteriori, vel in motu & actione sua superfluam, & a copia sanguinis oriundam, necessum est, hoc pacto refrenare.

Itaque si nimia sit, & vltra sphæram virium, saltim in futurum, præstat in viam reuocare archeum, & auferre commodiori loco tantillum, quam linquere sibi eundem minus bene agentem. Hoc sane moderamen optimum est, etiam in hæmorrhagia narium, plethoræ præcipue intuitu.

Locus asignari potest κατ' ἴξιν, e directo, ex oppsito,

& maxime omnium in pedibus, ad remotiora ſic auocando & dirigendo effluxu. Fruſtra enim fere omnis eo caſu eſt adſtrictio, niſi depletio fuerit præmiſſa; vnico heroico remedio hoc pari futuro. Sin conſentiat ætas, temperamentum, habitus corporis, ſanguinis dimisſio ordinaria ſuppreſſa, longe rectius eadem adhiberi poteſt & debet.

Vicariam venæſectionis operam præſtant CVCVRBITVLÆ, & ſcarificatæ, & ſine ſcarificatione nonnunquam. Illæ communi deplendi intentione, & euacuandi; hæ reuellendi & diuertendi ſcopo magis, modo ſingula fiant prudenter & prouide.

Solent & HIRVDINES commendari a quibusdam, ſed magis tamen certis caſibus, apud nos vero minus vſitatæ, vt hæmorrhoidibus ſuppresſis; alioqui enim vix ſufficienter euacuant, quod tamen ad ſanguinis copiam imminuendam requiritur.

A quampluribus commendari ſolent & CVCVRBITVLÆ non ſcarificatæ, diuertendi & reuellendi ſcopo. Applicari ſolent hæ locis non vnis. Ita *nuchæ* appoſita ventoſa laudatur tanquam experta in *Ephem. Germ. Dec. 1. ann. 6. obſ. 90.* Ab aliis *hypochondriis*, dextro vel ſiniſtro, imo *vmbilico* ipſi, ne de ſcapulis & dorſo dicamus. Exemplum felicis ſucceſſus, de cucurbitulis *pedibus* applicatis, habet *Foreſtus l. 13. obſ. 14.*

Commune vero & cum reliquis præſidiis opponi poteſt & ſolet argumentum, minus tuto idem æque fieri, quo de vid. *Muſitanus chirurgiæ theoretico-practicæ cap. 33. p. 150.* de hypochondriis quidem; vt aliis etiam circa mammas idem notatum eſt, ne inflammatio ſuccedat periculi plena. Id vero præcaueri poteſt, ſi non affixæ relinquantur promiſcue, & longius, ſed ſubinde trahantur & retrahantur, in circulum ſuum reuocando ſanguinem & vna diuertendo. De

abuſu

abusu enim hoc indeque oriunda noxa vid. *Hildanus cent. 2. obs. 47.* & *Musitanus l. c.*

Nec LIGATVRIS sua laus deneganda est, earumque speciei quasi, compressioni. Sic comprimi vtiliter potest frons ipsa, quo de in topicis, vt & basis superior nasi, sub frontis centro, paries intergerinus seu septum transuersum nasi, etiam digitis, pollice & indice. Ligaturæ item digitorum extremorum, manus alterutrius, brachiorum & pedum, non solum ad sensum quendam tristem moderatum inferendum, sed & ad remorandum impetum citatiorem sanguinis. Vtut vero non semper expectationi satisfaciant in grauiori malo; habent tamen pro re nata & illa suum locum, ne quid neglexisse videamur.

Ex FONTE PHARMACEVTICO, non minus generosa affectui huic condebita depromi possunt remedia, sufficientissime indicationibus satisfacientia, quæ tamen dogmatico modo liceat secundum loculos receptos dirimere.

Faciunt huc LENIENTIA, & EVACVANTIA quoque ipsa. Cum enim in naribus duplex sit reuulsio, elogio *Galeni*, altera ad partes inferiores totius corporis, altera ad posteriora capitis, dantur omnino casus, vbi purgantia & leniora & mediocria indicantur, & necessaria sunt omnino. Sic id valet maxime in obstructionibus, mensium, hæmorrhoidum, mesenterii, cachexia, hydrope & similibus, quando ex hoc capite ad nares affectat exitum sanguis. Idem de febribus valet, intermittentibus, & continuis suo modo ipsis, aluo adstricta.

Talia sunt *sennata*, *rhabarbarina*, *aloetica* aliquando ipsa, & *tamarindinata*, *pilulæ tartareæ*, & similia. Confirmat idem *Valetius exerc. 22. in l. 1. Holler. de morbis intern.* vbi, post sanguinis fluxum, *ait*, optime repressum, vtilis erit purga-

tio, cum tollenda ſit hæmorrhagiæ cauſa, vtplurimum biliosus, acer & mordax humor, extra paroxyſmum videlicet.

Ex DIAPHORETICORVM claſſe in variolis & morbillis, febribus catarrhalibus, & aliis, vbi hæmorrhagia præſto eſt cum tuſſi, conſulto eligenda ſunt temperatiora & media. Enimuero, ſi a centro ad circumferentiam æquabilis directio ſanguinis promota fuerit, partim præcauebitur, partim curabitur hæmorrhagia narium. Et ſane vel hoc nomine maxime ex vſu hæc ſunt, quod circulum ſanguinis in ordinem redigant, doloresque, ſi qui adſint, diſpellant, vti *mixtura ſimplex*, *myrrhata*, *crocus* ipſe, vt in *ſperniola Crollii* quoque, *antimonium martiale cachecticum*, *diaſcordium Fracaſtorii*, ne opiata huc arceſſamus alia, ſunt egregia remedia.

Ex DIVRETICIS itidem laudari merentur, tum alia non pauca, quæ ſub alterantium claſſe laudabimus; tum aperientia itidem & reſoluentia, *tinctura tartari*, *oculi cancrorum*, *radices aperientes*, *pulueres cachectici*, *ſem. 4. frig. mai. & min.* *tinctura aperitiua Mœbii*, *Zwelferi*, *arcanum tartari*, & reliqua, ad dictos ſcopos ſelecta.

SPECIFICA ſunt adſtringentia, roborantia & alterantia, illa elateri & fibrillis laxioribus, hæc ſanguini magis debita fluidiori, rarefacto, ὀργασμώδει, acriori, & ſic porro; quædam etiam vtroque modo iuuantia. Ita magnarum virium ſunt acida, tam ex regno vegetabili deſumpta, vt *ſuccus granatorum acidus*, *citri*, *berberum*, *acetum* ipſum ſimplex & varie deſtillatum, inſtar omnium; quam minerali, v. g *ſpiritus ſalis*, *ſulphuris*, *vitrioli*, *clyſſus antimonii ſulphuratus*, atque cum his paratæ *tincturæ fl. papau. errat. roſar. violar. bellid. borag.* in ſcorbuto inprimis calido, quo de vid. *Ephem. Germ. Dec. I. Ann. III.*

Hæc ſulphur ſanguinis euectum & nimis rarefactum obtun-

obtundunt, & ſal volatile eius figunt, non minus ac *nitroſa* per ſe, & cum variis adſtringentibus maritata, præſtantiſſima narium hæmorrhagiæ remedia: vt *nitrum purif. antimoniat.* ſeu *anodynum* dictum, *lapis prunellæ*, & *arcan. duplicatum*, vel *triplicatum*.

Vehiculum his præſtant aptiſſimum, & ipſa per ſe quoque ſatis commoda, *aquea*, præſertim in febribus, vt *decoctum hordei* cum *ſucco citri acidulatum*; potiones ex *aquis* appropriatis, vt *plantag. portulac. ſedi mai. acetoſ. acetoſell. endiu. papauer. rhœad. millefol. agrimon.* aliisque, additis *corall. rubr. ppt. dent. hippopot. aceto deſtillato*, & *extract. anodyn. ad* gr. j. *ſirup. papau. ſimpl.* vel e *roſis ſiccis* parum, ad gratiam. Imo, verbis *Pergameni*, hac ratione aqua frigida ſæpe bibita, compeſcuit hæmorrhagiam.

Huic ſcopo etiam velificantur *emulſiones*, v. g. ex *ſem. 4. frig. mai. excort. papau. alb.* & *aquis deſtillatis* appropriatis, additis *corall. alb. ppt. ebor. ſ. ign. ppt.* & *extracti anodyni tantill.* cum *ſirupo* quodam appropriato.

Inter aſtringentia vero hæc ſeorſim memoranda in genere ἴσχαιμα, vt in ſpecie ἴσχαιμον *Theophraſti*, & *herba ſanguinalis Celſi* celebratur apud vtrosque, eadem forſan cum illo, ſeu *polygonum*, vbi & plura alia communia ex aſtringentibus huc pertinent, vt *fructus rhoes* rubræ coriariæ, *Coo* iam memoratæ, & ex ipſis foliis puluis groſſior, apud myropolas venalis, *equiſetum*, item *plantago* & alia, huc arceſſenda aliunde; *lapis hæmatites*, *corallia alba & rubra*, *bolus armena*, *ſanguis draconis*. Ex compoſitis & præparatis *martialia*, vtroque caſui, & adſtringendi & aperiendi quadrantia, *limatura* ipſa fina, *crocus martis ſaccharinus*, *aperitiuus*, *ex vitriolo eiusdem*, *adſtringens*, *puluis ſtypticus variorum*, *C. C. vſtum ppt.* & alia ex penu illo ſeligenda.

Ex

Ex liquidis *Tinctura martis liquida, Zwelferi, cydoniata, pomata, tartarea, helleborata, vitriolata: Tinctura corallio-rum, martis adstringens, sulphuris vitrioli, antiphthisica*, communiter dicta, *lap. hæmatit. terræ iaponicæ, eff. teriacal. traumatica, anodyna* aliæque. Enimuero colophonem addunt *opiata*, & singula, quoque suo ordine & modulo varie mixta & composita; tum per se & ordinaria dosi, vrgente vsu, optime enim se gerunt, si nihil contra indicet; tum mixta cum aliis, vt inde completum sortiantur effectum, & spiritibus, & humoribus frenum ponentia, & parietes ipsos laxos roborantia vna.

Cautela tamen & distinctione opus est. Nisi enim ὀργασμὸς sanguinis nimius fuerit compositus, & reliqua præmissa datis adstringentibus & cohibentibus intempestiue, visus est sanguinis fluxus in naribus coercitus alibi, & vel in ipsis oculis aliquando quæsiuisse exitum, frustranea & inutili opera.

Quod TOPICA, seu medicamenta externa, attinet, de iis optime scripsit *Galenus l. 5. M. M. c. 6.* Post enim, quam dixisset, extrinsecus applicanda & adstringentia & sine adstrictione refrigerantia, hæc non simpliciter laudari a se addit, neque indefinite, neque quouis tempore, sed post reuulsionem, v. g. in naribus, vti venæsectione, aut frictione, aut deligatione artuum, aut cucurbitulis ad hypochondria. Sed ne sic quidem statim vti oportere refrigerantibus in fronte & capite, sed cucurbitula primum reuellere in occipite. Secus enim si fiat, quosdam, qui ex naribus sanguinem fundebant, aperte læsos esse, refrigerato capite.

Externa igitur remedia variis modis officium suum faciunt. Sic conglutinando ipse sanguis, isque proprius, in exitu concrescens sibi ipsi obicem ponit; aut exsiccatus, & ad

ad imitationem *Ioelis in Praxi p. 229.* applicatus ſanguinem ſiſtere creditur.

Huius etiam loci ſunt, quæ per contactum frigidum virtutem ſuam exerunt. Sic aqua frigidiſſima fontana in nares attracta id præſtat, modo id circumſpecte, &, vbi id licet, tuto fiat; item aquæ deſtillatæ refrigerantes variæ, vt, *ſcdi mai. ſ. & compoſ. acetoſ. acetoſell. portul.* &c.

Eximiæ virtutis remedium, pro narium hæmorrhagia ſiſtenda, celebratur ſpiritus vini in nares attractus ab *Excell. D. Bohnio in act. Erud. Lipſ. A. 1683. menſ. April.*

Huc pertinet etiam *hæmatites*, in vtraque manu, vel ſub axillis detentus. *Bufo* quoque exſiccatus, & ſub axillis applicatus, vt & oſſicula eorundem & puluis ipſe, tanquam certum experimentum in narium hæmorrhagia prædicatur.

Mentham etiam contuſam, & naribus intruſam, tanquam expertum remedium extollit *Riuerius in Pr. p. m. 396.* Pariter *vſnea cranii humani*, naribus immiſſa, admodum proficua exiſtit, non minus ac interius propinata. Vid. *Ephem. Germ. Dec. I. Ann. 2. obſ. 53. p. 102. ſ.* quod & de muſco alio non vno verum eſt. Idem dictum eſto de decocto adſtringente naribus iniecto, *l. c. obſ. 224. p. 325.* Sicut & pulueres adſtringentes ex *creta, cort. granat. rad. torment. gall. bolo armena, terra ſigill. Iapon.* varie adhibiti, ipſaque caudula leporina indita commendantur.

Exſiccando & terrendo ſuccurrit ferrum ignitum, ex improuiſo naribus ſubditum, vt ſanguis exiens in illud ſtillet. Non minus vtilia ſunt, quæ imbibendo effectum ſuum edunt, vt fungus puluerulentus, *crepitus lupi* dictus, qui vel per ſe naribus, vel cum aliis turundis compoſitis, applicari poteſt.

A quampluribus commendatur inter topica etiam *ſtercus ſuillum & aſininum*, recens naribus ad odorandum appo-

 ſitum.

ritum. Vrut vero videri queat, fieri hoc, quod præstat, ob auersationem archei, vnde & refugiant spiritus, & cum iis sanguis concentretur; laudari tamen rectius queunt particulæ eius austeræ vaporosæ, corrugante virtute præditæ.

Hinc enim, præter recentem vsum, etiam puluis stercoris asinini, cum succo vrticæ inprimis præparatus, & in nares inditus, experimenti probati instar laudatur a *Roderico a Castro l. 1. de morb. mul. c. 5.* quod auunculus eius septuagenarius, quatuor Regum Lusitanicorum medicus cubicularius, secum gestauerit, non simile aliud inuenisse professus. Confirmat idem diuinus *Senex,* qui dudum iam hoc nouit, *l. de superfœt. c. 21. t. 1.*

Ex compositis siccis famosissimus est *puluis sympatheticus*, ex vitriolo Cyprio depurato & in sole calcinato, cum subdecupla, vel, secundum alios, anatica additione gummi tragacanthæ paratus, ad narium profluuium sistendum, tali adhibendi modo, vt vel sanguis exiens stillet super puluerem illum, vel in illius solutionem lintea cruore madida, rursusque exsiccata intingantur. Eundem effectum cum illo habet *caput mortuum vitrioli.* Inprimis vero & puluis ex *alumine* crudo, cum *lacca* globulata pictorum tinctus, ad incarnatum colorem, in nares insufflatus. Vid. *Ephem. Germ. Dec. I. Ann. I. obs. 23.* ne plura ex iisdem passim notata laudemus.

Laudem etiam meretur *liquor stypticus Weberi*, ex alumine & vitriolo, cum aqua simplici per coctionem paratus, in nares attractus, cum quo etiam, addito spiritu vini camphorato, anacollemata fieri possunt, quibus collum, frons & testes imbuantur. Hisce etiam materiam præbent *aceta* varii generis, vt *rosaceum*, *rutaceum*, & *oxycratum* ipsum hisce scopis inseruit.

Notabile vero hic est, quæcunque ex hisce immediate loco affecto applicari iubentur, sed acrimonia rosiua pollent,

vel

vel ſtimulante, non promiſcue habere locum, ne corroſionem, ſi quæ adſit, augeant, vel exſtimulent quoque alias, ipſamue ſternutationem excitent.

De topicis iſchæmis bregmati potius imponendis egregium habet locum *Rhodius cent. 1. obſ. 90.* vbi refert *Pompeium Caimum* vidiſſe iuueni ſex & viginti annorum vnius & dimidii diei ſpatio ſanguinis octodecim libras e naribus fluxisſe; monuitque remedia externa fronti neutiquam, ſed coronali ſuturæ applicanda, quandoquidem ſanguis e venis iugularibus ſub eam ſuturam excurrentibus erumpit, vbi & plura habet.

Confirmat idem *Simon Pauli* in *Quadripart. botan. p. 508.* vbi ſcribit, amylum mixtum cum *bolo armena*, ac *oui albumine* exceptum, inductum ſtuppæ lini carminati, tantæ longitudinis, vt vltra coronalem ad glabellam naſi radices pertingat, ſi applicetur vertici ſecundum ductum ſuturæ ſagittalis, cui ſubiacet falx duræ meningis, enormes hæmorrhagias aliquando inhibuiſſe. Confer. *Braſſauolus l. 5. aph. com. 23.* qui *gypſo* loco boli armenæ fuit vſus.

Alias etiam capiti & plantis pedum adhibita topica laudantur, illi muſcus terreſtris clauatus; vid. *Ephem. Germ. dec. 1. Ann. 2. obſ. 52. p. 96.* huic *burſa paſtoris*, *vrtica* recens contuſa, & alia: ne repetamus ſub axillis poſita laudata.

De dentibus hippopotami non pauci aſſerunt, compertum eſſe illos, & ex iisdem parata appenſa ac admota, ſanguinis profluuia poſſe ſiſtere. Cum vero non ſemper reſpondeat effectus, cauſam in certum aliquod tempus occidendi animal, (quod tamen non eſt in arbitrio poſitum, vt in domeſticis,) obſeruandum credunt. Vti vero innoxium, & ad internum quoque vſum vſitatiſſimum eſt medicamentum, ita & illud adhiberi conſulto poteſt. Plura de hoc re-

relata in vtramque partem videri possint in *Mich. Boymii Flora Sinica Lit. M.*

Tacemus sistendi etiam hanc hæmorrhagiam modos superstitiosos & quasi tales. Ita certis verbis sine superstitione prolatis hæmorrhagiam narium compressam vidit *Th. Barthol. Cent. 5. hist. 97.* vbi & egregia alia habet experimenta.

In DIÆTA VITALI vitandus est AER calidior, & eligendus paulo frigidior, seu temperatus potius.

In NATVRALI quoad POTVM, vitandum est vinum, & spirituosa vinosa; non temere imitandus in hoc est *Duretus*, qui, in *notis ad enarrationem de Hæmorrhagia* apud *Hollerium*, scribit, monacho cuidam, sanguinis nimio profluuio laboranti, vsum vini meracioris mirifice profuisse. Eligendi sunt CIBI humectantes & refrigerantes. Absint omnia aromatica, sanguinem nimis rarefacientia.

In ANIMALI, SOMNVS & QVIES maxime conducunt, quia humectant, & sanguinis ὀργασμῷ sedando conueniunt. EXCRETORVM & RETENTORVM aliorum illa habenda ratio est, ne, ex alio quodam capite, ad partem affectam redundet noxa.

ANIMI PATHEMATA immoderata cane peius & angue fugienda sunt, illa scilicet, quæ sanguinem & spiritus a centro ad circumferentiam euocant, vt ira cumprimis. TERROR vero contra ea, & huius ratione aspersa aqua frigida, tantum abest, vt noceat, vt potius eximie prosit.

BALNEA & Venerea exercitia, aliaque nocere visa, exulare quoque debent, vti &, si ab ἰδιοσυγκρασία quædam citare hæmorrhagiam visa obseruata, quale exemplum habet *Rhodius l. c.* deuitandæ sunt illæ occasiones.

SOLI DEO GLORIA.